Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uehementi offendat. Sed hoc ut demonstretur longo sermone opus est.
Ipsi autem auribus exhiberi potest ab eo qui nouit in regulari monocordo.

III. De simplo saluatoris nostri quod ad duplicem nostrum occurrit et congruit.

Quemadmodum simplicem domini et saluatoris nostri illum uere duplo nostro congruat et quodammodo concinat ad salutem. Ho certe quia nemo xpianus ambigit. et anima et corpore mortui sumus. anima propter peccatum. corpore propter penam peccati. accipe hoc et corpore propter peccatum. Vtrique autem rei nostre idest animae et corpori medicina ex resurrectione oportebat ut in melius renouaretur quod erat in deterius commutatum. Mors autem animae impietas est. et mors corporis corruptibilitas per quam fit et anima a corpore absceditur. Sicut enim anima dominum deserente sic corpus anima deserente mortuum. Vnde illa fit insipiens. hoc exanime.

+ renouatio

Resuscitatur quia anima per penitentiam et in corpore adhuc mortali utique inchoatur a fide qui credit in eum qui iustificat impium. bonis quoque moribus augetur et roboratur de die in diem cum magis magisque renouatur intuitu hominis. Corpus vero tanquam homo exterior quamuis hec et uita diuturnior: magis magisque corrumpitur et etate et morbo et uariis afflictationibus. donec ueniat ad ultimum quod ab omnibus mors uocatur. Et tunc autem resurrectio differtur in finem. cum et ipsa iustificatio nostra perficietur ineffabiliter. Tunc enim similes ei erimus. quoniam uidebimus eum sicuti est. Hic autem quamdiu corpus quod corrumpitur aggrauat animam. et uita humana super terram tota tentatio est non iustificabitur in conspectu eius omnis uiuens. in comparatione iustitiae quae exhibitum angelis et gentibus quae reuelabitur in nobis. De morte autem animae a morte corporis distinguenda. quia plura documenta commemorentur. cum dominus in una euangelica sententia utramque mortem cuiuslibet facile discernenda posuerit. ubi ait sine mortuos sepelire mortuos suos. Sepeliendum quippe corpus mortuum erat. sepultores autem eius per infidelitatem impietatis in anima